MEDICA,

QVA

SINGVLARE
ANTHROPOGENIAE
SPECIMEN

CONSENSV
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

IOANNE GEORGIO GMELIN,

MED. DOCT.
CHEM. ET BOTAN. P. P. O.

PATRONO SVO AETERNVM
COLENDO,

SVMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA CONSECVTVRVS

RECENSET, DIIVDICAT,
ET PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

LVDOVICVS HENRICVS RIECKE, Stutgard.
AVCTOR.

D. X. DECEMBRIS MDCCLIII.

Symbolum.

CLAVDIANVS:

Eſt aliquod meriti ſpatium, quod nulla furentis
Invidiæ menſura capit. - - - - - -



I.

Suggessit mihi casum Anthropogeniæ singularis, suasitque, ut pro thematе Dissertationis eligerem, Excell. Dn. Præses, cujus ea in re consilio me permisi totum, tanto autem casus visus fuit excussione dignior, quanto aptior & specimini physiologico, & pathologico, & therapevtico. *Ratio instit[...] & historia i[...] sius casus.*

Dabo igitur operam, ut pro tenui mearum virium modulo singula ejus phænomena explicem, & singulare anthropogeniæ hoc exemplum pro usibus tam pathologicis, quam therapevtics in succum convertam & sanguinem.

Ita vero casus ipse habet: *Uxor, ætatis 27 annorum, vegeta valde, viroque nupta sano, multorum jam liberorum felicissima mater, denuo impregnabatur, graviditatis initium fluebat e voto, neque consueto quorundam ciborum fastidio, multoque minus vomitibus, alias hoc tempore urgentibus, molestum, (sed nec olim, quoties gravida fuit, vomitibus diu, multumve lassabatur,) solis interdum vexabatur sanguinis orgasmis, quibus usus venæsectionum & leniorum laxantium, præsertim catharctici salis Anglici opponebatur, sub his autem, ad vigesimam usque secundam hebdomadem nullo mater modo embryonem percipiebat, e contrario autem, nunc e vagina stillicidium observabat liquoris cujusdam, isque fluxus per quatuordecim dies uno continuatus filo novem circiter laticis hoc tempore libras exprimebat. Consilium petebat gravida Excell.* BILFINGERI, *Serenissimi Nostri Clementissimique Domini Ducis Archiatri, multorum annorum felicissima praxi clarissimi, mixturam is ordinabat temperate cardiacam, & leniter adstringentem, cujus ab usu per octiduum fluxus cessabat & gravida, excepto languore ac debilitate, nullas accusavit molestias amplius, tum vero præscripsit* Excell. Dn. *Archiater mixturam aliam, magis cardiacam & roborantem, leniterque pellentem, diureticam & oleosam, sed rediit non obstante hujus usu prior fluxus, & largior quidem, eumque post octiduum comitata fuit uteri hæmorrhagia, continuatus fuit mixturæ posterioris usus, verum inde neque serosus, neque sanguineus fluxus suppressus, uterque potius uno per septem hebdomades filo perrexit, remissione intercedente levi per aliquot diei, noctisque horas, interim sic intra 24. horas ultra quatuor libras utriusque liquidi emanavit. His non obstantibus nova usa mixtura temperante, cardiaca, leniter adstrictiva & castoreata sanguinis e vena brachii missione ad septem uncias, alvoque bis per octiduum ope salis Ebs-*

nihil minus in lecto continuit, noctu placide dormivit, optimo gavisa est appetitu, sed embryonem neutiquam percepit, usque ad hebdomadem totius graviditatis tricesimam primam, qua tanquam vermiculum se moventem intra uterum observavit, & hic motus per duas continuatus fuit hebdomades, quibus elapsis, præviis paucis partus doloribus, felicissimo eventu sub initium anni 1751. parvulum quidem, & ante statum tempus, vivum tamen enixa est fœtum, ex ipsius autem calculo non modo, sed & reliquis pensitatis conditionibus septem circiter hebdomadibus, præcociorem, languidulus enim fuit, & in externo dextri femoris latere aliquibus in locis sugillatus, ut cœruleum illæ regiones colorem præ se ferrent, cura tamen exquisita matris partem sugillatam fomentis calidis e vino sollicite foventis Divina gratia ita conservatus, ut non sanus & incolumis tantum, sed & egregie alacris in hunc usque diem, persistat. Ante partum fluxerunt aquæ naturaliter, & secundinæ quoque naturaliter se habebant, nisi, quod justo minores essent; proximo anno salva mater gemellos peperit feliciter, manifesto indicio, satis etiam bene se habuisse matrem post memoratum hunc partum.

En mirabile prorsus exemplum partus septimestris, per ærumnas matris non exiguas feliciter eluctati, præcox enim fuit, nec mater ullo modo tantas in eo vires observare potuit, ut, postquam in lucem editus erat, variis licet captis experimentis, & matre non renuente, sed optante potius, ad sugendum adigi potuerit.

II.

[A]rgumenti dis[se]rtationis om[ni]s divisio & [po]tiora illu[str]anda historiæ [ph]ænomena.

Sunt multa in historia hac, quæ singularem expectant illustrationem, constitui autem brevis esse, itaque potiora colligam tantum momenta, ea enucleabo, iisdemque porismata quædam subnectam practica, prono ex iis alveo fluentia. Ante omnia igitur extraham singulares illas gravidæ conditiones, quas præsens subministrat casus, quæque loco totidem problematum esse possunt resolvendorum. Sunt autem hæc: *Cur consuetos graviditatis comites, nauseam, vomitus, non hæc experta est gravida? Unde promanavit ille tam sanguineus, quam serosus latex a medio graviditatis ad finem usque fluens e vagina? Quomodo ferre hunc gravida potuit absque molestia, noxave majore, quam sustinuit? Cur ante hebdomadem graviditatis tricesimam primam embryonem non percepit mater? Cur, postquam percepit, eum non efficacius, nisi vermiculum se moventem, observavit? Cur abortu & præcocius enixa eum est mater? Quare languidus is apparuit & debilis? Unde lividas in femore dextro maculas habuit? Quomodo, qui priores percurrit in matre ataxias, tantis tamen emersit viribus, quibus conservari & prolongari vita in hunc usque diem cum sanitate potuit? Cur secundinas volumine solito minores habuit?*

III.

[Pr]incipia phy[si]gica pro ex[plic]atione illo[rum] phænome[no]rum necessa-

Unde nunc filum inveniemus Ariadneum, ex his evasuri rerum labyrinthis? Certe, quæ consueta naturæ lege fit hominis generatio, si non mysteriis, tamen obscuritatibus undique plenam declarant physiologorum acutissimi, qui, quod res est, fateri gestiunt; interim, utcunque se res habeat, rectum semper tutissima est obliqui norma, quare, si quidem ænigmata solvere hæc volumus, consulere oportebit physiologorum dog-

men non omnes, tribuunt hæc & reſorpto in ſanguinem ſemini maſculo, & compreſſo ab utero ventriculo, & menſibus retentis, neque absque multa veri ſpecie; *a*) magnam autem eſſe circa hoc phænomenon naturæ inconſtantiam docuit jam Hippocrates, quando ſcripſit: *multum inter ſe differre mulierum naturas*, cui quotidiana ſuccinit experientia.

Altera obſervatio phyſiologica, quæ huc facit, hæc eſt: fontes catameniorum, fluentes extra graviditatem, ſunt villi potiſſimum fundi uteri, qui, uti docuit KAAVWIVS *b*) non ſunt, niſi arteriæ exhalantes & reſorbentes venæ, teſte NOORTWYCKIO; *c*) Docent ſedem hanc maculæ in utero menſtruatarum ſanguinem ſtillantes, obſervatæ a SCHVLZIO, *d*) MAVRICEAV, *e*) LA MOTTE, *f*) LITTRIO, *g*) SANTORINO apud MORGAGNVM, *h*) ipſoque MORGAGNO: *i*) ut plures alios taceam; alii, quos inter ſunt maxime REALDVS COLVMBVS, *k*) HIERONYMVS MERCVRIALIS, *l*) COCHBVRNIVS, *m*) TAVWRYVS, *n*) ROLFINCIVS, *o*) BOHNIVS, *p*) IOANN. GODOFREDVS BERGERVS, *q*) VERDVCIVS, *r*) ORTLOBIVS, *s*) ſedem horum fontium poſuere in vagina uterique collo, alii & uterum & vaginam ſedem eſſe declarant, uti cum aliis admittit præſertim celeber. MAVRICEAV. *t*) Equidem lites has componere nunc nolo, exiſtimo tamen, eos, qui argumenta omnia & in hanc, & illam, & utramque partem æqua ponderant lance, quæ plurima ex obſervationibus aliorum collegit præ aliis Illuſtr. HALLERVS, *u*) agnituros quidem uteri fundum pro fonte hujus fluxus primario, ſed daturos etiam facile, poſſe quoque vaſa vaginæ, quæ ramos habet ab arteriis uterinis, dimittere aliquid in quibusdam menſtrui cruoris. Tertia obſervatio hæc eſt: arteriæ hæ in prægnantibus adeo magnæ fiunt, ut initium calami ſcriptorii admittant, cum ante arteria maxima ſit inviſibilis. *v*) Quarto præter has arterioſas papillas, uti vocavit RVYSCHIVS, habet uterus intus peculiares ſinus & poros, quos variis nominibus legas ab Auctoribus deſcriptos. Quinto, hi minimi ſunt in virginibus, in gravidis & puerperis digiti apicem admittunt, teſte præter alios MORGAGNO. *w*) Sexto commercium hæc foramina habent cum externis

a) Vid. Illuſtr. Alberti Halleri prim. lin. Phyſiolog. edit. ann. 1747. §. 857. p. 480. ſub finem.
b) Abrah. Kaau perſpiratio dicta Hippocratis. 1738 Lugd. Bat. §§. 1037. 1038.
c) Noortwyck uteri humani gravidi anatome & hiſtoria, pag. 9.
d) Commerc. lit. Noric. 1731. ſpec. 5. p. 34.
e) Traité des maladies des femmes groſſes. Paris. 1675. p. 48.
f) Traité complet des accouchemens nonnaturels, & contre nature &c. 1722. 4. Obs. 21.
g) Hiſtoir de l'acad. 1720. p. 22.
h) Advers. anat. IV. animadvers. 27. p. 48.
i) Advers. I. §. 33. p. 46.
k) De re anatom. L. VI. & XI.
l) Prælect. Piſan. de homin. generat.
m) Oeconom. corp. animal.
n) Traité du Fœtus.
o) Ordo & method. generat. dicat. part. P. III. c. 25.
p) Circul. anatom. Progymnasm. 16. 4.
q) Phyſiolog. med. L. X. C. 20.
r) Traité de l'uſage des parties gen. Tom. I. c. 16.
s) Hiſtor. part. & œconom. Diſſert. 19.
t) l. c.
u) Herm. Bœrhave prælect. acad. in proprias inſtit. c. notis Halleri edit. ann. 1744. T. V. P. II. p. 71. not. m.
v) Herm. Bœrh. præl. c. not. Hall. T. V. P. II. p. 44. 45. 46. in textu.

Continuatio principiorum phyſiologicorum.

Poſtquam femina concepit, clauditur uterus, quod non Zoologi tantum experimentis confirmant multis, ſed & alii cum PANAROLO in homine pro unico conceptus ſigno declarant, teſtem rei habemus etiam Cel. MAVRICEAV, *z*) HIPPOCRATES, *aa*) a turgente utero claudi os ait, & ſic alii etiam recentiores ſtrictum eſſe ſcribunt, quos omnes allegat Illuſtr. HALLERVS *bb*) addit autem: verum ego nullum uteri oſtium unquam ſtrictum, in cadavere certe, vidi. *cc*) Deinde os uteri claudit mucus rubroſuſcus in gravidis, qui e ſumma eructat cervice, *dd*) viſcum alii vocant, cujus fontes lacunæ ſunt, forſan & ova NABOTHI, ut ſuſpicatur modo laudatus HALLERVS, *ee*) ſed GRAAFIVS, *ff*) in gravidis non adeo perpetuo clauſum uteri os pronunciat. Septimo, frequenter non modo ſanguis per priores geſtationis menſes menſium more profluit, absque noxa, ſed &, licet rarius, a media geſtatione usque ad partum largiſſimis & continuis propemodum fluxiſſe undis exempla leguntur, *gg*) ut alia exempla e DIONISIO, DEVENTERO, MAVRICEAV & SIEGMVNDINO prætercam, menſium & ſtillicidii ſanguinei fluxum in gravidis innoxiorem deſcribit PECHLINVS *hh*) imo ſunt, quæ tunc inprimis, quando utero gerunt, menſes patiuntur. *ii*) Jam autem octavo, licet ovum in principio liberum innatet, utpote longe minus minima uteri capacitate, mucilaginoſo uteri ſucco & maſculino ſemini, tamen, ubi paululum adolevit, ſuaque convexitate uteri cavitatem contingit, cum eo concreſcit, omnemque replet perfecte, (quod jam cognovit GALENVS *kk*)), ut, quod ſectio cadaverum docuit, nec ullus liquor concavum inter uterum ovumque convexum interponatur, medius, & ſi caſu effluxerit tantum ſanguinis, vel alius liquoris, ut gibbam inter ovi partem, convexamque uteri faciem ſe inſinuet, ovum ſolvitur, abortus & hæmorrhagia fit, *ll*) & omnis chorii, membranæ ſcilicet embryonis extimæ pars adhæret utero, vera concretione, maxima tamen adhæſio eſt, ubi placenta ponitur, reliqua enim uteri ſuperficiei mollius conglutinatur, & minoribus, quam placenta vaſculis. *mm*) Nono enim ovum, ſatis cito, &, ſi omnia conſulimus experimenta, primo ad minimum a conceptu menſe, hujusque fine germinat undique, id eſt, flocculos emittit undique ramoſos, qui exhalantibus & reſorbentibus uteri flocculis inoſculantur, & adhærent, & hic nexus ubique quidem in utero ſtabilitur, maxime tamen in fundo ejus; ita tenuis, & ſeroſus ex arterioſis uteri villis fertur in tenuia ovi vaſcula liquor, isque ovum & una fœtum hac periodo alit, qui ante adhæſio-

nem

x) Morgagn. l. c.

y) Herm. Bœrhave. præl. c. not. Hall. T. V. P. II. p. 49.

z) l. c. L. I. C. VI. p. 90. & L. I. C. IX. p. 103. *aa*) Aphorism. S. V. 51.

bb) Herm. Bœrh. præl. c. not. Haller. T. V. P. II. p. 214. & ſeq. not. i.

cc) Ibid. & prim. lin. phyſiol. §. 843. p. 470.

dd) Morgagn. advers. anat. I. p. 37. *ee*) Prælect. l. c. p. 213. n. f.

ff) Opera omnia 1705. de mulierum organis. C. VIII. p. 181.

gg) Georg. Erneſt. Stahl Diſſert. de affect. gravidarum &c. reſp. Dav. Dittmann. 1708. §. 28. p. 21. *hh*) E. N. C. Dec. I. Ann. IX. & X. obs. 29.

ii) Comment. Bonon. T. I. p. 152. E. N. C. Dec. I. ann. 3. obſerv. 348. pag. 478. Cent. V. & VI. obs. 75.

kk) L. I. de format. fœtus.

[illegible], continuo diametris augentur, [illegible], placentæ chorii villosæ omnes, ita & acinuli hi placentæ sinulos uteri subeunt, sensim vero & sensim flocculorum pars major, inferior evanescit, aut in chorion abit, sola vero pars, quæ obtuso e vertice ovi efflorescit, capit incrementa, & sensim in rotundam circumscriptam placentam perficitur. *nn*) Undecimo autem, licet ovum per vasa crescat adeo invisibilia, ut nemo hactenus hæc intermedia ipsi & utero vascula vel armato distinguere oculo potuerit, dum chorion pulposa tota undique adhæret concavæ uteri superficiei, tum, ubi sola est, tum, ubi placenta dicitur, & avulsa floccos trahat innumeros, & facile lacinias utero innexas relinquat, vel productiones emittat manifestas in sinus uteri, ut villi ejus chorii sinulis se immergunt, *oo*) utque ovum casu forte resolutum ab utero nullum in convexa superficie foramen exhibeat, è quo vasa concluderes adesse, tamen argumenta gravissima sunt, quæ persuadent, embryoni cum matre commercium intercedere arctissimum ope vasorum; secundo enim mense facies ovi obvia utero in parte summa, quæ totius ovi fere tertia est, rotundo disco, complanato, succoso, tuberoso, accurate toto vasculoso in paria sibi & similia tubercula mutato, cum utero cellulosa tenui, vasa colligente arcte nexo, & sæpe insolubiliter, adglutinatur, respondentibus tum ex utero in placentæ venas arteriis exhalantibus, tum ad uteri venas hiantibus magnis placentæ arteriis, ut ibi, scilicet in superficie, utero & placentæ communi, commercium stabiliatur, quo embryoni uterus primo serosum illum humorem, deinde, ut videtur, ipsum, unde nutritur, sanguinem quoque mittit, *pp*) quam rem rationibus plurimis, tam a mensium suppressione in gravidis, (quorum ergo sanguinem alio insumi est necesse,) quam aliunde petitis validissime stringentibus aperte demonstrat præter alios HALLERVS. *qq*) Duodecimo denique sani parentes generant etiam sanam a potiori prolem, cæteris paribus.

V.

Jam ergo applicabimus principia hæc solvendis quæstionibus, §. 2. *Solutio primæ*
propositis; quarum prima fuit: cur nauseam, vomitusque non experta *quæstionis §. 2.*
fuerit gravida hæc? Equidem ita responderem, primo ipsa singularis hujus anthropogeniæ historia habet, gravidam hanc nec olim his consuetis graviditatis comitibus diu multumque lassatam fuisse; docet insuper experientia quotidiana, hic nullam esse naturæ constantiam, & multas ab hoc graviditatis effectu in totum excipi, deinde vero, cum revolvo phænomenorum horum causas, narratas §. 3. sub initium, videtur & ovi moles, consueta minor, & major libertas in utero majorem hujus impedivisse distensionem, quæ ventriculo tanta molesta esse potuisset pressione, quin etiam videtur in hac gravida sanguini uterino amplior patuisse divertendi campus, quam in aliis, ut nec retenti menses his aperire symptomatibus portam facile potuerint, quæ quidem omnia evidentius elucescent e resolutione proxima secundæ quæstionis.

VI.

Sanguineus ille, serosusque latex hos, me judice, fontes habuit; *Solutio secundæ*
omnis interna uteri superficies villosa est, papillosa & sinuosa, hi villi at- *quæstionis §. 2.*

teriore graviditatis progreſſu ovi flocculis §. 4. n. 9. [illegible] & adhærent, & in eos liquorem dimittunt ſeroſum, tenuem, communi & conſueta naturæ lege, jam vero in ſubſtrato caſu ovum quidem ope placentæ aſſedit firmiter uteri fundo, & ad eam ita determinatus fuit uterinorum vaſorum impetus, ut ceſſarent catamenia, & aliquid ſanguinis ante impræ gnationem hic excerni ſoliti conſumeretur ad placentam & embryonem, ſed reliqua ovi pars procul dubio non adglutinata fuit uteri ſuperficiei, neque ſuis floccis immerſa ſinubus uteri, ratio forte fuit, quoniam ea periodo, qua fieri alias hæc adhæſio, & mutuus vaſorum amplexus ſolet, primo verbi cauſa menſe, vel ſub finem ejus, mater majores admiſit totius corporis motus, currendo, vehendo ſuper lapides, & quæ poſſunt alia ſimilia eſſe impedimenta, eſt vero naturaliter & in omnibus mollius utero affixa ea ovi ſuperficies, quæ non eſt placenta §. 4. n. 8. ergo facile ſolubilis, ſed & ipſa hic placenta minore adhæſit area, fuit enim ſolito minor §. 1. ſub finem. Conſpirant vero hiſtoriæ conditiones cum theoria hac tanto magis, quanto propius conveniunt cum legibus anthropogeniæ conſuetis, per has enim primo quidem tempore liquor fluit ſeroſus & tenuis, deinde vero ipſe ſanguis §. 4. n. 9. & 11. major igitur ovi libertas fuit in utero, & cum partim ob eam libertatem, rariusque cum utero commercium, partim & ipſius placentæ parvitatem minore gaviſa fuerit humorum uterinorum affluxu, mole quoque minor fuit, æque ac embryo ex eadem cauſa ipſe, licet, cum e ſanis procreatus fuerit parentibus, quoad prima ſtamina languidulum ſupponere non poſſimus. Et his poſitis reliqua vaſa uterina, quæ ad placentam non firmabantur, patula manebant, ſed diſtenſionem, quam reliqua experiebantur, pergente graviditate, cum illis communem patiebantur, ergo, cum ſatis extendebantur ſub medium graviditatis, exprimebat impetus, primo quidem ſeroſum liquorem, poſtea vero diametro aucta ex increſcente diſtenſione ipſum ſanguinem, ſalva & integra placenta, uti docuit rei exitus. Sed & ipſa illa vaſorum libertas reſiſtentiam ſanguini minuit fluenti per vaſa uteri omnia, ergo non omnia is ita replevit atque diſtendit, quemadmodum, ubi major eſt reſiſtentia e coalitu vaſorum horum cum floccis ovi, ſanguinem tamen diu non transmittentium; ergo & vaſa viſcerum abdominalium, ventriculi & aliorum liberius evacuare ſe potuerunt, tantam non in uterinis moram nectente ſanguine. Sed regeris: forte uterque liquor e vagina promanavit? idque vero videtur tanto eſſe ſimilius, cum, poſtquam concepit femina, claudatur uterus, & orificium ejus tenaciſſimus obſtruat mucus §. 4. n. 6, imo vero, cum in quibusdam catameniorum etiam aliquid e vagina defluat §. 3. n. 2. ſed ſalva res eſt, & facile reſpondetur his dubiis: quantum enim ad uterum clauſum, is nunquam in cadavere ſtrictus eſt, neque adeo perpetuo clauſum eſt uteri os in medio graviditatis, §. 4. n. 6. adeoque nec obſtructio a muco impedire tenuis liquoris effluxum poteſt, imo vero is mucum diluit, maxime quando copioſis ſtillat guttis e tot apertis portis, ut gutta cavat lapidem; ſunt autem illa oſtia plurima, ergo dum e multis ſtillavit ſimul, brevi tempore magna potuit effuſi liquoris eſſe copia, calculo ſubducto analogico e perſpirabili Santoriano. Neque vero e vagina profluxiſſe utrumque humorem [illegible] diu ſolus fluxit latex ſeroſus, qualem in

... pro fonte menstruorum declarant, certe, quæ id adstruunt, nonnisi aliquas a regula exceptiones describunt, quin & speciosa sunt argumenta, quæ id a priori vix esse probabile demonstrant. De allantoide cogitare nolo, quæ non dubia modo multis est in homine, verum & concessa embryonalem urinam adeo paucam habet, ut ea comparata cum copia seri hic elapsi sponte cadat omnis suspicio. Forte autem latex ille serosus fuit amnii liquor, & sanguis fluens effectus placentæ ruptæ? Id omni veri specie vacat utrumque, nam quod spectat ad amnium, is liquor amnio rupta non per guttas, sed pleniores undas effluit, & ante partum fluxerunt aquæ naturaliter, quæ non potuissent non copioso hoc fluxu emungi omnes, & placenta fuit integra §. 1. sub finem, neque potuisset paucis adeo cum molestiis & ullis absque doloribus aut præviis, aut concomitantibus, ferre fluxum hunc mater, fuit autem procul dubio serosus ille humor ejusdem indolis cum liquore amnii, & e vasis profusus etiam similibus.

VII.

Solutio quæstionis tertiæ §. 2.

Dum huic solvendo nodo nunc operam navo, mirari quidem subit, quod non majores molestias passa fuerit ex hoc insigni profluvio gravida, quod nunquam fit absque multa virium exhaustione, hancque consequente debilitate, lassitudine, quæ hic etiam apparuit, interim non opus erit longe repetere causas, cur adeo ipsi de reliquo tolerabile fuerit? Cum sciamus, feminas omnes plethoricas certo respectu esse, multamque ferre posse humorum & ipsius cruoris jacturam absque singulari noxa, cum legamus in historia: vegetam valde hanc gravidam fuisse, cum profusio humorum facta sit non per vasorum rupturam, sed simplicem anastomosin naturalem hac periodo §. 6. quæ adeoque nullum violentum impetum poposcit, nec vim vasis insolitam intulit.

VIII.

Solutio quæstionis quartæ §. 2.

Altioris indaginis esse videtur quæstio quarta, tamen e præmissis haud adeo difficilis erit responsio; directe quidem non videtur impedivisse perceptionem embryonis fluxus ille copiosus, nam potuisset ea fieri jam ante fluxum, qui hebdomade demum vigesima secunda initium cepit, cum perceptio sæpe fiat ante vigesimam, & a potiori, certe impetus etiam nihil impedivit, conditiones enim reliquæ vehementiam non probant nimiam, & copia potest e copia fontium patentium explicari, sed indirecte tamen aliquid contulit, quatenus embryonem nutrimento spoliavit multo, unde tardius increvit, accedunt vero aliæ quoque conditiones, placentæ parvitas, quare pariter minor affluxus liquoris amnii & nutrimenti fuit, ovi extra placentam libertas nimia, unde non firmato hoc satis, embryo nec intra illud se movere satis libere, certe motu suo irritare uteri superficiem concavam, & ejus pulpam potuit, ut perciperet mater, taceo illas turbas circulationis humorum omnium per uterum, & sub illa libertate vasorum, & ipso humorum effluxu per multa vasa.

IX.

Solutio quæstionis quintæ §. 2.

Cur vero denique perceperit tamen, neque autem efficacius, nisi tanquam vermiculum se moventem? id, quod spectat ad prius, tribuendum quidem esse censeo incremenro embryonis jam facto ultimo gestationis mense, teste fine §. 2. neque obstantibus conditionibus §. 8. paris jam, dum replevit magis uterum ...

continuo extinxit aliquid perceptionis impreſſæ ab embryone, partim
ob libertatem ovi ſingularem §.6. qua factum eſt, ut lubrica uteri ſuperficiei pulpa contigua tantum ovo, neque continua plurimum impreſſorum ictuum, & motuum embryonis abſorberet.

X.

Solutio quæſtionis ſextæ §. 2.

Quod vero abortu præcocius enixa fœtum fuerit mater, ut ſeptem anticiparet hebdomadibus excluſione ſua, id non tam languiditati ejus & debilitati adſcribendum eſſe judico, cum omnia experimenta conſpirent, maximas in partu fœtus partes eſſe, & haud rara ſint exempla fœtuum a morte matris editorum *rr*). Ergo virium in fœtu defectus cauſa eſſe non potuit, ſed forte, poſtquam multum is increvit hebdomade trigeſima prima poſt imprægnationem, & cum ovo ſuo non niſi parvæ placentæ ope fuit affixus parvæ areæ fundi uteri, reliqua parte ovi libera, pondere ſuo tum illi uteri fundo trahendo, deorſumque nitendo e gravitate impreſſit irritationem, acceſſit autem cauſæ huic multa totius uteri & vaginæ lubricatio ex illo copioſo fluxu aquæ ac ſanguinis, unde promta huic ſtimulo reſpondit flexilium valde fibrarum omnium contractio, acceſſit atque facilitatem excluſionis tentatæ juvit paratus hactenus minoris reſiſtentiæ locus, ſumma libertas, & major hiatus oris uteri ex illis diu effluentibus liquoribus, neque credibile videtur, directe vaſorum uterinorum exinanitionem huc aliquam conferre potuiſſe ſymbolam, nulla enim ſigna habentur, e quibus intelligi potuiſſet, eam nimio factam fuiſſe cum impetu, quem luere oportuiſſet etiam vaſa placentæ infixa, imo potius videtur hoc profluvium effectus fuiſſe impetus naturalis neceſſarii, quo ferri ſanguis ad embryonem debet, neque aliæ cauſæ, quæ abortui portam alias aperire ſolent, hic in ſubſidium vocandæ ſunt, ut ſunt hæmorrhagiæ vehementes, ſtatim in principio accidentes gravidis, fluxus menſtruorum eo tempore moleſtus vehementior, injuriæ variæ illatæ ab extus, orgaſmi ſanguinis a motibus corporis vehementioribus, vel ingeſtis potulentis, cibis, medicamentis acribus, calidis, diarrhœa, vomitus, & quæ ſunt aliæ plures cauſæ.

XI.

Solutio quæſtionis ſeptimæ §. 2.

Quare languidus & debilis fuerit fœtus in lucem editus? haud erit explicatu difficile, licet enim ſupra ejus ſtamina non debilia declaraverimus, idque argumento etiam robuſto demonſtraverimus §. 6. tamen non potuit non omnis fœtus eſſe languidus & debilis, utpote parva inſtructus placenta §. 2. per quam nutrimenti parciorem etiam copiam hauſit, aliunde autem nihil prorſus accipiens alimenti, deficiente vaſorum uterinorum omni commercio cum ovo extra placentam, imo neque negaverim, potuiſſe quoque illum tam aquæ, quam ſanguinis fluxum inſigne in præjudicium embryonis vergere, eo enim univerſum uterinorum vaſorum ſyſtema laudabilibus humoribus multis eſt emunctum, & dilatatis ſub finem graviditatis enormiter horum liquorum fontibus §. 6. hac data porta ruebant & effluebant nutritii humores, erat enim hic reſiſtentiæ locus multo minor, ac in illis ipſis vaſis, quibus cum placenta commercium intererat, ut ipſa res docet, ergo placenta ex hac jactura parciore fruebatur humorum influxu, ergo non poterat non decedere aliquid embryoni nutrimenti, cauſæ incrementi & conſueti roboris, ergo eum

Unde lividas in femore dextro maculas habuerit fœtus, eruendum nunc eſt; illæ mihi quidem natæ fuiſſe videntur a preſſione majore, quam ibi paſſus eſt, rationem quidem allegare non adeo facilem licet, cur in femore dextro præciſe, nec alibi tales exhibuerit maculas, cur ibi magis preſſus fuerit? Sed neque multum intereſt, ſive definire hoc poſſimus, ſive non, ſufficit ſcire, quod in ergaſtulo varios embryo ſequatur ſitus, pro diverſa graviditatis periodo varios, & pro diverſa placentæ ſede, imo vero, quod nec in omnibus matribus eundem embryo ſitum ſervet, uti docent obſervationes phyſiologicæ, ergo procul dubio in hac gravida ſitum ſervavit talem, in quo facilius dextrum premi & preſſione ſugillari femur potuit, ac alia regio, id, quod haud adeo raro accidere ſolet, facilius autem evenire poteſt, ubi, quemadmodum hic, ovum non adglutinatum eſt omni concavæ uteri ſuperficiei, ſed liberius e ſola placenta, uteri fundo affixa, eaque parva §. 2, quaſi pendet, ſic enim luit citius incluſus embryo validiores matris e curſu, vectione in rheda ſuper lapides, aliosque ſimiles motus, alias vero maculas tales fœtui affricant frequentiores concuſſiones totius trunci, abdominis, pelvis, vehementiores, alliſiones abdominis turgidi contra obſtacula dura, quales fiunt præſertim e lapſu matris, & forte hæc etiam talem paſſa fuit, quem nauci habuit, & unde tamen fœtus debilior maculas hujuscemodi contrahere potuit. *Solutio quæſtionis octavæ §. 2.*

XIII.

Jam disquirendum eſt, quomodo tantis emergere viribus fœtus potuerit, quantis in lucem prodiit, cujus vitæ tot ſtrui videbantur in utero matris inſidiæ? Ante hoc, quam reſolvam problema, monere licebit ipſas illas circumſtantias, problemate contentas, confirmare haud parum ſuſpicionem de fœtu conceptam & §. 6. propoſitam, quod ſcil. primis ſuis in ſtaminibus debilis & languidulus non fuerit, qui enim parciore ſolito e matre gaviſus nutrimento §. 6. eluctari poteſt ſalvus & incolumis per illas teneras primæ humanæ vitæ periodi rationes, quas inevitabilibus exponi voluit injuriis Adorandus Creator, ad plenum biennium, eum profecto e ſtaminibus debilibus & languidulis vix ſuccreviſſe ſuſpicari oportet. Sed ad ipſam nunc rem; potuit viribus emergere tantis fœtus, quoniam, uti proxime adſtruxi, e ſtaminibus non ſuccrevit debilibus, ſed bonis, robuſtis, firmis, adeoque interno quaſi e principio vitam, viresque ſuſtinere potuit, deinde autem in ſua commoda vertit maxime fœtus vigorem matris, quæ vegeta fuit, §. 2. quod inſigne certe beneficium eſt omni fœtui, talis enim vigor, utcunque nocivus fieri huic poſſit, ubi præproperatos evagatur in impetus, ſaluberrimus tamen eſt, ubi modum ſervat, quemadmodum hic ex omni concludere hiſtoria licet, plurimumque favet tam generando laudabili ſanguini pro matre, fœtuque, quam illi, ea, qua par eſt, menſura & efficacia fœtui applicando; Ita ergo poſſunt formari fœtus partes, formatæ autem elongari, & in omnes creſcere dimenſiones, neceſſariamque induere firmitatem, ita poſſunt in corpuſculo infantis etiam laudabiles generari humores, quæ omnes conditiones præcipuum ſternunt virium fundamentum, fontemque longioris vitæ ſuppeditant; deficit autem plenior habitus corporis, & deeſt ejus, ubi ſanus eſt, *Solutio nonæ quæſtionis §. 2.*

quæſtionis §. 2. ſpondeo primo: in univerſum nullam obſervare circa eas naturam menſuram determinatam, deinde autem, ſi recurro ad ea, quæ dicta fuere §. 6. videtur eadem cauſa, quæ ſtatim a conceptu impedivit, quo minus ovum, ut alias fieri ſolet, undique adplicaretur & accreſceret uteri ſuperficiei concavæ, quæque illam & utero & ovo quietem non conceſſit, qua fruuntur in aliis ea periodo, qua mutuos in amplexus ruere ſolent, ea ipſa cauſa videtur etiam in culpa eſſe, quod neque ovum forte tot ea parte, quæ in placentam effingi ſolet, effloruerit floccis vaſculoſis, neque uteri fundus, huic reſpondens, tot papillis exaſperatus fuerit, ac alias ſolet, vel certe, quod non tanta vaſorum uterinorum copia permixta fuerit & immixta ibi chorii radiculis §. 4. n. 10. & 11. excluſa enim fuit integra, §. 2. neque quidquam habuit vitii. Facilis etiam ero, ſi quis addiderit, copioſum illum ſeri ſanguinisque per ultimas hebdomades fluxum imminuiſſe quodammodo placentam, licet enim integra in partu fuerit excuſſa, tamen, cum vaſa uterina miras infinitasque ſubeant inter ſe anastomoſes, mutuisque conſpirent inter ſe patentibus portis, cum maximus humorum impetus ſenſim ruerit magis & magis in illa plurima minoris reſiſtentiæ loca, deſeruit alia vaſa majoris reſiſtentiæ, ſc. illa, quæ ad placentam excurrebant, magis, ea ergo tum non tantum dilatabantur amplius, quantum extendi oportet, ut nativam ſervent diametrum, ergo ſenſim & ſenſim decreſcebant diametro, atqui vero placenta, tota quanta, conſtat e vaſis celluloſa inter ſe tela nexis, docent injectiones Ruyſchianæ, materia ſebacea factæ, ergo his arctatis vaſis, & propius inde ad ſe invicem accedentibus, omne minui oportebat placentæ volumen.

XV.

Porismata practica e ſubſtrato caſu fluentia.

Jam vero ad alterum progrediar diſſertationis poſtulatum, §. 2. id eſt, derivabo nunc e ſubſtrato caſu quædam porismata practica, quæ prono inde fluunt alveo, & magni poſſunt in praxi uſus eſſe, quæ cum gravidis verſatur. Primum hoc eſto: quemadmodum nauſea, vomitus feminarum ceteris paribus graviditatem non arguunt, ita nec abſentia horum ſymptomatum & in iis, quæ ſub omni graviditate patiebantur ea, argumenti loco eſſe poteſt, ſi cetera diſparia ſint, nullam ſubeſſe graviditatem. Secundo: non omnis fluxus vel ſeroſi humoris vel ipſius ſanguinis infelicem præſagit abortum, vel alio pertimeſcendus eſt titulo, ſi copioſus etiam fiat, ſive ſolus alteruter, ſive conjunctus; Tertio tandem præſagit abortum, ſi diu durat, & copioſus accidit, & fœtui debilitatem e defectu nutrimenti. Quarto, ſi neque majore cum impetu, neque doloribus ullis, neque viribus plus exhaurit matrem, ac in noſtro factum fuit exemplo, & vegeta eſt mater, periculum non aliud portendit, niſi debilitatem fœtus, & abortum, neque vero ſub his conditionibus infelicem. Ergo Quinto prudentiæ profecto intereſt medicæ, invigilare illis conditionibus, quæ periculoſum ſeri ſanguinisque in gravidis fluxum diſtinguunt a fluxu non periculoſo, ne cœco impetu ſequamur medicum canonem: aquæ fluunt, ſanguis fluit, ergo expellendus eſt fœtus, ne de corio ludamus materno non tantum, ſed & tenerum embryonem e charybdi præcipitemus in ſcyllam, docet enim evidenter caſus hic, teſte porismate ſecundo, ſi diu etiam & copioſus eveniat hic fluxus, non ideo

divertant arte ad alia loca, quam, quæ petit, cum periculo matris & fœtus, ut leniſſimis adſtrictivis moderentur, infringant impetus ferociam, & vaſa vel laxata jam ab anaſtomoſi nimia roborent, vel præmuniant adverſus novos impetus, ut denique temperatis cardiacis & antihyſtericis & vires matris & fœtus utcunque ſuſtentent, ita noſtro in exemplo ſucceſſu optimo egit, & ſe geſſit Medicus, imitatione omni digniſſimus, quo uſa fuit gravida, his expoſita procellis. Septimum porisma hoc eſt: Si præſentibus aliis graviditatis ſignis, licet non omnibus, tamen iis, quorum tutiſſima fides eſt, diu non, neque poſt medium graviditatis percipiat embryonem femina, nondum ſequitur: ergo mola eſt, quod utero fovet, vel mortuus fœtus; Octavo tamen id inde conjici poſſe videtur, futurum eſſe fœtum debiliorem. Nono: neque prægreſſis prioribus omnibus, ſi ultimis prorſus menſibus evigilet quaſi embryo, & obſcuriſſimas ſuæ præſentiæ lineas ducat, quemadmodum noſtro in caſu accidit, aliud inde augurari quid licet, niſi, quod certo vivus embryo adſit, is autem debilis. Decimo: ſi quam corporis regionem fœtus recens in lucem editus lividam, ſugillatam, lividisve maculis turpem exhibet, nunquam ſtatim deterrere color hic debet, quaſi vero ſignum corruptionis, putredinis aliusve labis eſſet, certe caſus noſter demonſtrat, id non ſemper obtinere, quoties livor talis obſervatur.

Et hæc potiora ſunt, quibus fœcundam obſervavi hanc Anthropogeniæ ſingularis hiſtoriam, porismata practica, potuiſſem facile plura elicere, ſed volui ſubſiſtere in iis, quæ caſtiſſimo inde ratiocinio derivari poſſunt, cum tam facile præcipitemur hac neglecta cautela in avia dogmata, quibus imperitia hominum tanquam veritatibus abutitur, nolui etiam addere talia, quæ a ſphæra ſingularis hujus anthropogeniæ, qua ſingularis, declinarent, ergo hæc ſufficiant. Faxit modo Deus T. O. M. ut omnia, quæ ſcripſi, & cogitavi, vergant in ſui nominis gloriam & proximi, proximæque ſalutem!



PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO

CANDIDATO RIECKIO

S. P. D.

PRAESES.

Multum me exhilarasti specimine, quod Tibi a me discutiendum traditum est, Tu vero tam concise, tam solide, tam docte discussisti, ut nec in lectione librorum desidem nec in judicio facile fallacem Te quis pronunciare queat. Ita quidem mihi videtur. Opto omnino, ut idem etiam videatur aliis. Hic enim multitudo idem sentientium patrocinium parit sive potius auget. Solidum simul argumentum hoc judicium præbet bene in Academiis collocati temporis, quod satis longum in iis versatus es. Maxime Tibi incumbebat, hominem intus & non obiter, sed in cute addiscere. Quantum Tu illum noscas, docta enodatione casus propositi demonstras. Sed nec Te substitisse in solis hisce cognitionibus speculativis, sed & ad altiora, practica nempe, transiisse, porismata practica ejusdem Tuæ dissertationis, unde varii homines proficere possunt, abunde edocent. Macte diligentia Tua, sollertia & acerrima honestaque simul discendi cupiditate, ut & in practicis rebus mox præstantissimus evadas, dignissimusque Parente docto & probo filius. Ut denique præmium studiis Tuis laudabiliter gestis & ad finem exoptatum perductis dignum, spartam exoptatam, consequaris, Tuas propter virtutes, Tibi, utque continuatam Tuam amicitiam propter bonam meam voluntatem porro mihi largiaris, mihi, ex animo precor. Dabam e Musæo, d. VII. Decembr. cIↃ cI ccLIII.

*** *** ***

Quam Medicos omnes juvat ampla scientia, quanta
Ornatum Te nunc judico lætus ego!
Ingenium vivax dedit hanc, meditatio multa
Addidit huic pondus, perpetuusque labor.
Nec Tibi suffecit sic Wirtembergia nostra,
Suppetias magnas Gallia clara tulit.
Accessitque novus rerum fons atque thesaurus
Gœttinga tandem, qui Tibi gratus erat.
Jam lege mellitos fructus, & præmia larga
Collige nunc placide; jam Tibi floret honos!
Aurea praxis eat, feliciter omnia cedant,
Posteritas factis gaudeat ipsa Tuis!

Ita Doctissimo Domino Licentiato, Amico
sedulo que olim Auditori suo gratulatur

* * * * * *

Optimam caussam bene sustinendo
Laude cum summa cathedram relinques:
Gratulor toto TIBI perferendam
pectore pugnam.

Victor exspecta meritam coronam,
Qua PATRIS Nomen radiat reflexum,
FILIVM cujus mihi laureatum
Grator amicum.

M. IOANNES ANDREAS TAFINGER,

Ducalis Gymnasii Stuttgardiensis Professor, Academiæ Scientiarum Regiæ Berolinensis, Societatumque, Litterarum elegantiorum Regiæ Gottingensis, & Latinæ Jenensis, Membrum.

* * * * * *

En! Meditrina sagax Tibi, spectatissime Fautor,
Atque Sophia simul digna brabea parant.
Tempora circumdat laurus, Fortuna secundat
Hoc decus, invidia nil remorante, Tuum.
Te facit ars Medicum, solidum experientia reddet,
Ægris de Tanto gratulor ergo VIRO.

Hisce paucis Prænobilissimo Domino RIECKIO, Cognato desideratissimo egregios in Medicina profectus de cathedra disputatoria demonstraturo, Musisque Tubingensibus cum laude valedicturo, gratulabundus adplaudit, seque ulteriori Ipsius favori enixe commendat,

IOANNES CONRADVS GMELIN.

* ** *
** * **

Heu mortale genus! tua mira creatio, mira
Vis artus animans: hanc Diſſertatio præſens
Condocuit, multaque inſignem reddidit arte.
Gratulor hoc ſpecimen, tentamina maſcula laudo;
Audaces fortuna juvat, juvat atque juvabit.
In patriam rediens ſummos, DOCTORIS honores.
Poſcis, quid valeant humeri, jam cum laude docebis.
Abs me jam primum ſalve Clariſſime Doctor!
Macte nova virtute, TVAM conſcende palæſtram.
Scire TVVM nihil eſt, niſi TE ſcire hoc ſciat alter.

Habes hic Prænobiliſſime Domine Doctorande, Fautor atque Amice æſtumatiſſime! manum, mentem, memoriam, quam feſtinantiſſimo calamo, hinc vocatus, in ulteriorem mei commendationem teſtari TIBI volui

M. HOCHSTETTER, *Stuttgard.*
S. S. Theologiæ Candid.

* ** *
** * **

Freund! wenn mit beſorgter Fauſt Du des Körpers Faſern trenneſt,
Oder treuer Mütter Arm jeztgebohrne Kinder gönneſt,
Wenn Du die vorhandne Noth aus der Ader Pochen kenneſt:
Leb den Krancken, lebe Dir.

Aber wenn kein Angſt-Geſchrey, keine Noth Dich Dir entreiſſet,
Wenn die ſtille Dämmerung zärtlicher Dich fühlen heiſſet,
Wenn ſich die Zufriedenheit Dir in vollem Schimmer weiſet:
Leb den Freunden, lebe mir.

zu ſeiner Empfehlung ſezte ſolches bey

C. L. Bilfinger. Opp.

